

dita : *Auditus per verbum DEI: & quidem per verbum Evangelij, ipso interprete Apostolo, verbis precedentibus 15. & 16. Et illud i. Cor. 1. 21.* Postquam in sapientia DEI non cognovit Mundus per sapientiam DEM, visum est, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

**21.** Quam ob causam Ministerium Novi Testamenti sive Evangelij disertè nominatur ministerium non literæ occidentis : sed Spiritus vivificantis & iustificantis in gloria 2. Cor. 3, 6. & seqq. Et potentia DEI ad salutem omni credentis Rom. 1. 16. Item semen incorruptibile, quo renascimur ad vitam eternam 1. Petr. 1. 13. Quod de verbo Evangelij intelligendum esse statim Petrus explicat, subiiciens v. 25. Hoc autem est verbum, quod annunciatum est vobis : Per quod etiam D. Paulus suos Corinthios se in Christo Iesu genuisse, scribit. i. Cor. 4. 15.

**22.** Probatur idem Exemplis eorum, qui ad conciones Apostolorum conversi sunt : ut in domo Cornelij, adhuc loquente Petro, Spiritus sanctus ceicdit super illos Act. 10. 44.

**23.** Idem de Sacramentorum usu ferendum est judicium. De baptismo enim Christus ait : Joh. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum. Nemo autem absque fide potest ingredi regnum cœlorum. Ergo

Et